



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

Anno Decimonono.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

pris, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus habeatur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Augusti MDCCXVIII. Pontificatus nostri anno Decimo octavo.

CLXVI.

Declaratur nullus Tractatus Pacificationis inter Abbatem S. Galli, & Magistratus Bernensium, & Tigurinum, inita, Catholicæ Fidei, & Ecclesiæ juribus noxiæ.

Ab Urb. VIII. Const. ed. 1641., Jun. 5. Ecclesiæ jura præservata fuisse a quibuscumque præjudiciis: Hujus Pontificis Const. ed. 1712. Jul. 19. P. 12. nulla declarata fuit Concordia inter Ecclesiasticos, & Syndicos Terræ Villarii. Et Benedicti. XIII. Const. ed. 1726. Feb. 14. P. 2. nullum declaratur juramentum fidelitatis, exhibitum Potestati Seculari in Sabaudia a Præposito Hospitalis Magni S. Bernardi.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 10. Dec. 1718. An. 19.

Exordium.

Romanus Pontifex æqui, bonique Supremus Assertor in Terris a Domino constitutus, Catholicæ fidei integritatem, necnon Ecclesiasticam libertatem, & immunitatem, aliaque Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, ac locorum Ecclesiasticorum quorumlibet, illorumque personarum jura facta testæ tueri, & adversus quascumque pactiones, & conventiones, per quas illis aliquid detrimenti inferri possit, tradita sibi divinitus potestate asserere tenetur, sicut omnibus maturæ considerationis trutinæ perpensis æquitati, & justitiæ consentaneum esse in Domino arbitramur.

§. 1. Cum itaque, sicut ad Apostolorum nostri notitiam non sine gravi animi nostri molestia pervenit, novissime, nempe die 15. Junii proxime præteriti in Oppido Badensi, dilectus filius Joseph a Rodulphis modernus Abbas Monasterii dicti S. Galli Ordinis Sancti Benedicti nullius Diocesis Provinciæ Moguntinæ ex una, ac Magistratus Pagorum Bernensium, & Tigurini, eorumque respective Ministri, seu Deputati ex altera partibus, super diversis controversiis, ob quas dudum inter eosdem Pagos, & bon. mem. Leodegarium, dum vixit, memorati Monasterii Abbatem, non ita pridem ab humanis exemptum, etiam ad arma deventum fuerat, tractatum quemdam pacificationis inierint, in plures articulos distinctum, quorum plerisque in Comitatu Dolsiensi ejusdem Monasterii ditioni subiecto, non modo hæreticis hominibus nefariæ suæ hæreseos exercitium libere permittitur, sed ipsi hæretici una cum Catholicis, perinde ac si esse posset societas luci ad tenebras, & participatio justitiæ cum iniquitate, ad judicium Consiliariorum Magistratum, aliaque publica munia, officia, seu ministeria, omnino æqualiter, & absque ullo prorsus discrimine admittuntur. Præterea, quod vix credi potest, Parochis A catholicis accurata puerorum instructio non utique in aliis, nisi ejus quam profitentur, adeoque damnatæ Religionis dogmatibus enixe commendatur, aliaque multa non minus Orthodoxæ fidei, divino cultui, atque animarum salutis adversantia, quam Monasterii supradicti, illiusque Abbatis, Monachorum, aliarumque personarum jurisdictioni, auctoritati, exemptionibus, privilegiis, rebus, bonis, ac juribus prorsus repugnantia, & insensæ approbantur, statuuntur, & firmantur, & alias prout in Instrumento, seu scriptura super tractatu pacificationis hujusmodi confecto, seu confecta, & subinde forsan utrinque ratificato, seu ratificata uberius dicitur contineri.

In Tractatu hujusmodi permittitur exercitium hæreseos, hæreticis conceduntur publica munia, & puerorum instructio.

§. 2. Tamen vero eundem tractatum per se manifeste nullum, ac irritum esse palam constat, notoriquè juris sit quascumque conventiones, seu pactiones de rebus, ac bonis Ecclesiasticis absque Apostolicæ Sedis auctoritate initas nullius esse roboris, vel momenti: quinimmo felic. record. Urbanus PP. VIII. Prædecessor Noster, Sedis prædictæ, ac Romanæ, inferiorumque Ecclesiarum, necnon personarum Ecclesiasticarum quorumlibet Jura quibuscumque præjudicialibus per quamdam suam Constitutionem die 5. Junii 1641. editam amplissime præservaverit; adeoque tractatus prædictus nulla vere ad sui reprobationem ulteriori nostra abrogatione indigeat; nihilominus, ne tam gravia per illum Orthodoxæ non minus Religioni, quam Apostolicæ auctoritati inflicta vulnera silentio præteritis, Nostrique propterea pastoralis Officii debito deesse videamur, ita Nos hac in re gerere statuimus, ut nostri etiam vigore judicii nulla unquam tractatus prædicti ratio haberi possit. Hinc est, quod Nos Catholicæ fidei conservationi, necnon hujus Sanctæ Sedis, Monasterii Sancti Galli, illiusque Abbatis, & Monachorum, aliarumque ejus personarum, locorum, bonorum, ac jurium quorumcumque indemnitati providere cupientes, memoratisque Urbani Prædecessoris vestigiis inherentes, necnon Instrumenti, seu scripturæ tractatus pacificationis hujusmodi, omniumque & singulorum inibi contentorum, & aliorum quorumcumque etiam specificam, & individuum mentionem, ac expressionem de necessitate requirentium tenores, & datas etiam veriores, cæterave qualibet, etiam speciali mentione digna præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, & exactissime specificatis habentes, post deliberationem, quam desuper cum Venerabilibus fratribus Nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus habuimus, diligentem, de ipsorum nonnullorumque aliorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super hoc eodem negotio a Nobis specialiter deputatorum consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine prænarratos, & alios quoslibet dicti tractatus pacificationis articulos, cæteraque in Instrumento, seu scriptura hujusmodi contenta, quæ Catholicæ fidei, divino cultui, animarum salutis, Sedi Apostolicæ, Monasterio Sancti Galli, illiusque Abbati, Monachis, & aliis Personis, membris, rebus, Dominis, bonis, redditibus, jurisdictionibus, etiam temporalibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, prærogativis, & juribus, quibuscumque quomodolibet officium, seu præjudicium, etiam minimum adferunt, aut inferre, seu intulisse, vel alias nocere, seu nocuisse quoquomodo dici, censeri, prætendi, vel intelligi possent, cum omnibus, & singulis inde secutis, & quomodocumque secuturis, ipso facto nulla, irrita, invalida, iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacua ab initio, fuisse, & esse, & perpetuo fore, neminemque ad illorum, & cujuslibet eorum, etiamsi pluries ratificata, & juramento vallata sint, observantiam teneri, neque ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem aut titulum etiam coloratum, vel possidendi, ac præscribendi causam, etiamsi longissimi, & immemorabilis temporis possessio, etiam citra ullam interpellationem, vel interruptionem subsequatur, acquisitum fuisse, nec esse, minusque ullo tempore acquiri, & competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanasset, nec facta fuisset, pro non exantibus, & non factis perpetuo haberi debere tenore præsentium declaramus, & decernimus. Et nihilominus ad abundantiorum cautelam, & quatenus opus sit, articulos præ-

Declaratio nullitatis articulorum in Tractatu Ecclesiæ juribus præjudicialium, cum eorumdem damnatione.

fatos,

fatos, aliaque præmissa, ut præfertur, præjudicialia, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus damnamus, reprobamus, irritamus, cassamus, annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus. Ac quatenus itidem opus sit Monasterium Sancti Galli præfatum, illiusque Monachos, & personas quascumque adversus illa in integrum, & pristinum ac eum, in quo ante quaslibet hæreticorum usurpationes, & invasiones quomodolibet erant, statum restituimus, remittimus, reponimus, & plenarie reintegramus.

Clausula.

§. 3. Decernentes easdem præsentis Literas & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes etiam specifica, & individua mentione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas eadem præsentis emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque causâ, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, & nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, vel habere prætendentium consensus, aliove quocumque etiam quantumlibet magno, ac incogitato, inexcogitabile defectu, aut ex alio quovis capite a jure, vel facto, aut statuto, consuetudine, vel privilegio resultante notari, impugnari, invalidari, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, ullatenus posse, sed ipsas præsentis Literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, inviolabiliter observari; Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ præfate Nuncios, aliosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuiuslibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & desiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsto non tollendo, Legibus quoque etiam Imperialibus, & municipalibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis quibuscumque Locis, & personis, etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, & aliis quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis; aliisque efficacioribus, & efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo

ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum & gentium in iudicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die X. Decembris MDCCXVIII. Pontificatus nostri Anno Decimonono.

Confirmatur Decretum Capituli Generalis Monachorum Congregationis Reformatæ S. Bernardi de Superioribus singulis sexennis eligendis.

CLXVII.

Const. ed. 1718. M. xi. 4. P. 18. quæ hic refertur prorogatum fuit Capitulum Gen. ad sexennium. Et Bened. XIII. Const. ed. 1717. Sept. 2. P. 3. restituitur Provincia Calabria Monasterium de Sagittario.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 3. April. 1719. An. 19.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias emanarunt a Nobis ad favorem Congregationis Reformatæ Sancti Bernardi Monachorum Ordinis Cisterciensis literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet: Clemens PP. XI. Ad perpetuam rei memoriam. Cum sicut accepimus in Congregatione Reformata Sancti Bernardi Monachorum Ordinis Cisterciensis, usus Capitulum Generale, in quo tam Abbas Generalis, quam alii Primarii ejusdem Congregationis Superiores eligi consueverunt de triennio in triennium celebrandi hæcenus invaluerit; Experientia vero compertum fuerit ex adeo frequenti Capituli hujusmodi celebratione, ac superiorum mutatione multiplicia universæ Congregationis prædictæ adferri incommoda, & detrimenta, tum ob graves, quas singulæ Provinciæ ratione ipsius Capituli quolibet triennio non sine eorum, ac Monasteriorum notabili onere, & damno facere tenentur, expensas; tum etiam ob diutinam eorumdem Superiorum ac præcipuorum Religiosorum, qui pene continuos itinerum labores subire, ac non modicum tempus in accessu, mora, & recessu a loco Capituli absumere coguntur, a suis Provinciis, & Monasteriis absentiam. Quibus pariter accedit, quod ubi vix prædicti Superiores debitam rerum ejusdem Congregationis, ac qualitarum Monachorum suæ curæ commissorum cognitionem nacti fuerint, munerum suorum eveniat vocatio. Nos considerantes pro ipsius Congregationis ejusque Monasteriorum, & personarum levamento, ac felici, prosperaque eorum directione, necnon Monastica disciplinæ conservatione expediens fore, dicti Capituli celebrationem de triennio in sexennium deinceps differri, ac proinde illorum utilitati, & commoditati, quantum cum Domino possumus consulere cupientes, de particulari Congregationis nonnullorum ex Venerabilibus nostris S. R. E. Cardinalibus ad id a

Constitutio hujus Pontificis, de celebratione Capituli Gen. singulis sexennis, & non amplius triennis, motu proprio edita.

Nobis

Nobis specialiter deputatorum, qui ejusmodi negotium mature, & accurate perpenderunt consilio, ac etiam motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, ut de cetero Capitulum Generale prædictæ Congregationis, quolibet Sexennio a proximo futuro Capitulo Generali, quod die nona currentis mensis in Monasterio Sanctæ Pudentiæ de Urbe ejusdem Congregationis celebrandum erit, incipiendo, atque ita perpetuis futuris temporibus de sexennio in sexennium continuando celebretur, ita tamen, ut majoris partis vocalium, qui proximum Capitulum prædictum constituent desuper accedat consensus, dictumque negotium, ac præsentis literæ sub initio ejusdem Capituli generalis per dilectum filium nostrum Franciscum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem Barberinum nuncupatum, qui dictæ Congregationis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector existit, proponantur, tenore præsentium statimus, & ordinamus.

§. 1. Decernentes easdem præsentis literas, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcusse observari: sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functionarios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, ejusque Provinciarum, & Monasteriorum quorumcumque, & aliis quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis eidem Congregationi, ejusque Provinciis, & Monasteriis, ac Superioribus, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, & Decretis, in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, ac pluries approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis; etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expresso habenda, aut aliqua alia acquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis, servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præ-

sentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsi præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 4. Maji 1718. Pontificatus nostri anno 18. F. Cardinalis Oliverius.

§. 4. Cum autem sicut dilectus modernus Procurator Generalis ejusdem Congregationis Monachorum Nobis nuper exponi fecit, memorati vocales in dicto Capitulo generali die 9. Maji proxime præteriti, ut præfertur, celebrato, in eoque prædicto Francisco Cardinale nostro, & ejusdem Apostolicæ Sedis nomine præsentente, Decretum ediderint, quo consensus suum præbuerunt, ut non modo Capitulum Generale ejusmodi, verum omnium etiam Superiorum tum Majorum, cum localium ipsius Congregationis officia de sexennio ad sexennium in futurum prorogarentur, dictus vero Procurator generalis Decretum præfatum Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos ejusdem Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, cumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus, ac universæ Congregationis prædictæ nomine Nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de supradictæ Congregationis particularis Cardinalium consilio, præarratum Decretum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, cum infra scriptis tamen declarationibus, nimirum, quod prorogatio de triennio ad sexennium officiorum ejusmodi Superiorum, fiat in posterum dumtaxat quoad Superiores Majores, Abbatem nempe Generalem, duos Assistentes Visitatores Generales, Visitatores Provinciales, & Procuratorem Generalem, nullatenus autem quoad alios superiores locales, scilicet Abbates, Priores, Superiores, vel Economos, qui omnes circa finem temporis Quadragesimæ cujusque triennii post singula Capitula generalia ad sexennium, sicut præmittitur, prorogata ad præfatum Abbatem Generalem in Alma Urbe nostra degentem suas patentes literas omnino transmittere teneantur, nulla tamen administrationum suorum facta interruptione, & absque ulla efformatione, seu confectioe Statuum Monasteriorum; & ab ipso Abbate Generali de suorum Consiliariorum per Constitutiones ejusdem Congregationis Monachorum auctoritate Apostolica confirmatas pro superiorum prædictorum electione Deputatorum consilio, juxta disposita in eisdem Constitutionibus Tit. de Capitulo Generali Cap. 11. §. 3. pag. 173. expectare debeant confirmationem officiorum, seu superioratum in suis respective Monasteriis vel translationem ad alia, aut abolitionem ab eisdem officiis, pro ut præfati Abbas Generalis, ac ejusdem Consilarii pro conscientia, solumque Deum ejusque Gloriam præ oculis habentes ad prædictæ Congregationis majus bonum, ac reatius regimen expedire judicaverint: quod si eorum aliquis absolvendus sit ab officio, vel ad aliud transfe-

Decretum præd. de celebratione Capituli Gen. singulis sexennis, & superioribus sexennialibus.

Preces Procuratoris Generalis.

Confirmatio memorati Decreti quoad superiores majores tantum, cum norma servanda singulis triennii in electione, vel confirmatione aliorum superiorum.

rendus gubernium, is eidem Abbati Generali, vel suo respectivo Visitatori, Provinciali, vel cui aut quibus dictus Abbas Generalis, vel Visitator Provincialis mandaverit, suæ administrationis rationem reddere teneatur, pariterque Abbas Generalis ac Visitatores Provinciales durante integro sexennio hujusmodi, alter quidem secundo, alter vero quinto ejusdem sexennii anno Visitaciones ad normam in præfatis Constitutionibus præscriptam explere teneantur.

Clausula.

§. 5. Decernentes quoque præfentes literas, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quancumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectivo inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functiones, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in literis præfatis concessimus non obstat, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Cæterum volumus pariter, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsi præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub anno Piscatoris die III. Aprilis MDCCXIX. Pontificatus nostri anno Decimo nono.

CLXVIII.

Revocantur omnia Indulta Religiosis personis concessa a Nuncio Apostolico in Regnis Lusitanis, & Algarbiorum.

Inn. XII. Const. ed. 1697. Jan. 12. P. 6. revocata fuere privilegia a Superioribus Religiosis concessa in Indiis Occiden. Et Bened. XIII. Const. ed. 1727. Jan. 10. P. 3. revocantur privilegia personalia Fratribus S. Joannis Dei concessa in Provincia Ulyssiponen.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 18. Sept.
1719. An. 19.

Exordium.

Scrutabilis Divinæ Sapientiæ, atque Clementiæ altitudo humilitati nostræ meritis, & viribus longe impari committere dignata est, salubriter exequi jugi vigilantia satagentes; in eam præcipue curam sollicitis studiis incumbimus, ut Christianis Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatis, sublatis iis, quæ regulari eorum observantiæ, atque disciplinæ detrimentum adferre noscuntur, juxta regularia eorum instituta prospere dirigantur, illisque firmiter insistentes, multiplicibus in dies benedicente Domino proficiant incrementis.

Referuntur
varie species
prædd. Indul-
torum, &
mala ex eo-
rum conce-
sione orta.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus in Portugallia, & Algarbiorum Regnis, ac eorumdem Regnorum Insulis in Indiis Orientalibus, & ultramarinis conquistis, prædictorum Regnorum Portugallia, & Algarbiorum dominio temporali subjectis, nonnulla Indulta, privilegia, prærogativa, immunitates, & exemptiones diversorum Ordinum Religiosis a dilecto Filio Nostro, & Sedis Apostolicæ Nuncio in dictis Regnis residente concessa reperiantur, per quæ iidem

Religiosi ab eorum Prælatorum obedientia exempti, nonnullique ex eis etiam jurisdictioni Superiorum alterius Ordinis subiciuntur, ac in Conventibus ipsius Ordinis cum titulo tuti accessus collocantur; alii vero Religiosi cum literis patentibus ejusdem Nuncii in eorum Officiis confirmantur cum deputatione Conservatorum, a quibus sæpe Literæ monitoriales contra Superiorem expediuntur, ad hoc ut prædictis Religiosis super dictis exemptionibus, collocationibus, & graduationibus eis concessis molestias minime inferant, ita ut in visitationibus debita obedientia a memoratis Religiosis exigi nequeat; Præterea Conventualitates perpetuæ in Conventibus, & licentiæ degendi extra Clausura conceduntur, quantum vigore Superioribus Regularibus sub excommunicationis pœna inhibetur, ne a Conventibus Religiosi ibidem assignati amoveantur, & ad Clausura redigantur. Ac demum ejusmodi Religiosi indulta ferendi votum, sive suffragium in Capitulis Provincialibus, etiam ipsi requisitis ad id per Constitutiones Ordinum hujusmodi auctoritate Apostolica confirmatas præscriptis præditi minime sint, impediuntur; Ex hoc autem gravissima inconvenientia, & scandala in non modicum Regularis observantiæ, & disciplinæ detrimentum exoriantur.

§. 2. Nos præmissis, quantum cum Domino possumus, occurrere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula, ac quæcumque hujusmodi privilegia, prærogativas, immunitates, & exemptiones quorumcumque Ordinum, Congregationum, ac Institutorum Religiosis per memoratum in dictis Regnis Nuncium ex quacumque causa, ac sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus quomodolibet concessa, tenore præsentium revocamus, cassamus, annullamus, abrogamus, & abolemus, illaque revocata, cassata, abrogata, & abolita, viribusque, & effectu vacua fore, neminique ullatenus suffragari decernimus; Ac eidem Nuncio harum ferie præcipimus, ut de cætero a concessione similium Indulorum omnino absteat.

Revocatio
præfatorum
Indulorum,
cum prohibi-
tione Nuncii
Apostolici
facta impos-
terum illa
non conce-
dendi.

§. 3. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinum, Congregationum, & Institutorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eidem Religiosis sub quibuscumque verborum tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis specialis, specifica, expressa, & individua mentio habenda esset, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsi præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majori sub Annulo Piscatoris die XVIII. Septembris MDCCXIX. Pontificatus Nostri anno Decimo-nono.

CLXIX. Confirmatur Constitutio Gregorii XIII. de transitu Patrum Societatis Jesu post emissionem votorum ad alios religiosos Ordines.

Laudata Constitutio edita fuit 1579. Oct. 24. P. 8. & hic refertur una cum Constitutionibus Pauli III. ed. 1549. Oct. 18. P. 15. & Pii IV. ed. 1565. Nov. 26. P. 6. de eadem re agentibus. Et Bened. XIII. Const. ed. 1728. Jun. 14. P. 5. agitur de ejusdem Presbyteris a Præposito Gen. d. Societatis.

Dat. 1. Dec. 1719. An. 20.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sacri Apostolatus ministerio per abundantiam divinæ gratiæ licet nullis nobis suffragantibus meritis præfidentes ex injuncti Nobis muneris debito Religiosorum Ordinum quorumcumque in Ecclesia Dei militantium prosperum statum, felicemque directionem summis desiderantes affectibus, eisque propterea, quæ præsertim à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostri provide sancita, & ordinata comperimus, ut firma, & illibata persistant, exactiusque observentur, Apostolica Nostre Confirmationis robur libenter adjicimus, ejusdemque muneris partes perpensis studiis impertimur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

S. 1. Exponi siquidem Nobis fecit dilectus filius Michael Angelus Tamburinus Præpositus Generalis Societatis Jesu, quod alias felic. rec. Gregorius Papa XIII. Prædecessor Noster, ut tam Indiis Orientalibus, & Occidentalibus, quam omnibus, & singulis aliis Regionibus extra Europam, nemo five ex Clericis Regularibus ejusdem Societatis, five Professus, five Scholaris, five Coadjutor post emissam in dicta Societate vota etiam simplicia sub excommunicationis, aliisque censuris, & pœnis ad quempiam alium Ordinem, nisi de expressa Romani Pontificis, vel Præpositi Generalis prædictæ Societatis licentia, etiam perfectioris, & melioris vitæ prætextu, seu contemplatione, transire auderet, seu præsumeret, decrevit, & ordinavit per suas Literas sub Plumbo Anno Incarnationis Dominicæ 1579. nono Kalendas Octobris expeditas tenoris sequentis, videlicet.

Constitutio præd. Gregorii XIII.

S. 2. Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. *Ad perpetuam rei memoriam.* Decet Romanum Pontificem, æqui bonique supremum assertorem, aberrantibus tramites excludere, districtèque consilia prævaricantia reprimere, ne obcæcæ mentis apparens virtus in damnationis periculum festantes trahat, aliisque perditionis viam sternat. Dudum siquidem felic. record. Paulus Papa Tertius Prædecessor Noster, inter alia Societati Jesu, illiusque Præposito, & Personis pro tempore existentibus, per eum concessa privilegia, per quasdam suas Literas, sub data videlicet, quintodecimo Kalendas Novembris, Pontificatus sui anno etiam quintodecimo, voluit, & inhibuit, ne quis in dicta Societate, post emissam ab eo, secundum illius Constitutiones, vota, five Professus, five Scholaris, aut Coadjutor Societatis hujusmodi esset, ad quemvis alium Ordinem, etiam per Sedem Apostolicam approbatum (Carthusiensium dumtaxat excepto) nisi de expressa ejusdem Sedis, vel pro tempore existentis ipsius Societatis Præpositi Generalis licentia transferri, nec in illo recipi, aut retineri posset; ac

A Paulo III. prohibitum fuit universis PP. Jesuitis ingredi alium Ordinem, excepto illo Carthusiano, sine facultate S. Sedis. vel Præpositi Gener. sub certis pœnis & censuris in contravenientes tantum,

ipsum Societatis Generalis, & alii inferiores Præpositi per se, vel alios, ab ipsa Societate subterfugientes, & egredientes, ac quoscumque dictæ Societatis Apostatas, reliquosque insolentes, qui id mereri viderentur, in quocumque habitu repositos excommunicare, capere, incarcerare, & alias suæ disciplinæ submittere, & ad id, si opus foret, auxilium Brachii Sæcularis invocare libere, & licite valerent. Et deinde piæ mem. Pio Papa Quarto etiam Prædecessori Nostro, pro parte clar. me. Sebastiani Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Illustris ex tunc existentis Præpositi, & Personarum Societatis hujusmodi exposito, quod nonnullæ ejusdem Societatis Personæ animi levitate, ut credebatur, ductæ, ac quietem labori, cui pro excolenda, & propaganda Christiana Republica continuo erant expositæ, ac privatum commodum, tam publicæ, quam Societatis hujusmodi utilitati, indifere præferentes, fucatisque coloribus asserentes, se id facere ob frugem melioris vitæ, aut strictioris observantiæ, seu non obtenta Superiorum licentia ad alios Ordines transire posse jactabant, & forsitan tunc quidam de factis transferant, alii vero ambitiosa cupiditate moti, postquam se Deo dediderant sæculi libertatem quærentes, ad illud reverti, & in eo palam degere non dubitaverant, nec dubitabant, in animarum suarum detrimentum, ac Societatis prædictæ non modicum præjudicium. Quodque nisi opportuno aliquo remedio consuleretur, verendum erat, ne Societas ipsa, quæ in erudiendis suis impensa, & labore Viris, quæ Christianæ Reipublicæ prodesse, & Catholicam fidem in remotissimis partibus propagarent sedulo intendebat, taliter delusa caret Literatis, qui operam in Vineâ Domini, juxta ipsius Societatis Institutam præstare solitam, valeret adimplere; idem Pius Prædecessor sub data videlicet Sexto Kalendas Decembris Pontificatus sui anno sexto, quod nullus in dicta Societate admittitur, post emissam, ut præfertur, vota, five Professus, five Scholaris, five Coadjutor, cujuscumque status, gradus, conditionis ille foret, a dicta Societate exire, aut recedere, etiam prætextu cujusvis Indulti a Sede Apostolica, seu illius Majoris Pœnitentiario, aut aliquo Nuncio, vel Legato etiam de Latere impetrati, & impetrandi, quod etiam ex tunc idem Pius Prædecessor subreptitium declaravit, absque expressa Superioris sui licentia, etiam qualis colore ob frugem melioris vitæ, aut strictioris observantiæ, ad quemvis alium etiam Minorum, aut aliorum Fratrum Mendicantium, aut Cisterciensium, vel Sancti Benedicti, aut aliorum Monachorum Ordinem transire, vel etiam per Superiores Ordinem hujusmodi, suorumque Monasteriorum (præfato Carthusiensium Ordine dumtaxat excepto) recipi se retineri posset, aut præsumeret, sub pœna excommunicationis, tam per recipientes, quam receptos, aut recedentes præfatos, ipso facto incurrenda, a qua præterquam in mortis articulo, ab alio quam Romano Pontifice, vel Superiore Societatis hujusmodi absolvi non posset, & secus facta non tenerent, nulliusque essent momenti; Et insuper, ut qui ab ipsa Societate ad Carthusianum infra tres menses, ad alium vero Ordinem de licentia prædicta infra tempus eis a dicto Superiore præfigendum accedere, illosque actualiter ingredi, & si in illis permanere nollent, aut non possent, absque ulla mora ad dictam Societatem regredi tenerentur, sub pœna excommunicationis præfata, quam tam ipsi admitti, quam illos recipientes, vel eis auxilium, consilium, vel favorem præstantes etiam incurrerent. Et nihilominus si quis ex Religionis ipsius Societatis animo indurato aliquid in contrarium attentare præsumeret, vel a dicta Societate post in ea emissam Vota, ut præfertur, absque Superio-

A Pio IV. & V. idem vetitum fuit quoad Ordinem Carthusianorum quoque post elaplum certum tempus ab emissâ professione, & nisi adit expressus consensus Præpositi Gen., sub pœnis, & censuris tam in aiter facientes quam eorum receptores, & fautores.